

57

De

**continua linguarum, quae in scholis doceri
solent, comparatione, quum utilissima, tum
nostris temporibus vel maxime necessaria.**

Quum ea mihi cura esset demandata, ut descriptione aliqua ad diem illum concelebrandum humanissime invitarem, quo mos est, hujus ludi alumnos publice periclitari atque experiri, consentaneum duxi, tale argumentum seligere, ut et muneris, quo fungor, rationem haberem, et ad communem utilitatem, quoad ejus facere possem, aliquid afferrem.

Quum optimo suo jure scholae, quae ingenuis pueros erudiunt artibus, linguas sibi sumserint, tamquam uberrimum campum et latissimum, in quo arando et peragrando ita exerceri possent ingenia imbecilla, ut pulchre omnes animi vires confirmarentur et ad subtilitatem cogitandi, scribendi et dicendi excolerentur, haud longius mihi quaerendam putavi materiem scribendi, sed ipsum hoc linguarum studium, quippe in quod et magistri et discipuli bonam partem vel aetatis vel laboris impenderent, proponendum censeo, de quo disputarem. Hac ratione ineunda spero me consecuturum, ut, si non magna et nova repererim, at saltem parva illa, quae mihi videor vel inter docendum vidisse, vel meditando perfecisse, in medium proferendo non prorsus inutilem me navasse operam vel docentibus vel discipulis, docti homines et aequi judices decernant.

Ne cui mirum videatur, me vel hodie hunc mihi elegisse locum perscrutandum et conscribendum, qui est de linguarum pueris tradendarum ratione, gravem illum quidem et magni momenti, sed eum, in quo praeclari ingenii et eximiae doctrinae homines per tot secula elaboraverint: non alienum erit, quae novae hodie extiterint causae, cur studium linguarum in scholis docendarum novis quibusdam adminiculis adjuvandum et sustentandum videatur, paucis praemittere.

Sane magnum quoddam esse ac difficile, quum omnis, tum nostrae aetatis hominibus, consuetudinem dicendi vel Romanorum vel Graecorum vel alius cujusvis gentis antiquae ita animo sibi repraesentare et tamquam renovare, ut et doctae antiquitatis monumenta penitus perspiciamus et veterum linguas emortuas, quasi redivivas, ad res nostri temporis sive scribendo sive dicendo accommodemus, praesertim quum longissimo annorum intervallo interjecto ab illorum memoria nostra absint tempora, quis est, qui infitias eat? Quam ob difficultatem et antea justas eorum audivimus querelas, qui, inde a renatis literis, sortem latinitatis genuinae et incorruptae lugerent, utpote sensim labentis ac paene cadentis. Et nostra quidem memoria tantum abest, ut conticuerint tales hominum de bonis literis optime meritorum querimoniae, ut multi sint, qui concidisse planeque jacere decus illud fastigiumque doctrinae, vel intra scholas, quas majores nostri latinas cognominatas voluerint, vel extra, conclamare haud dubitent. Nec falso. Nam nescio quo modo, plus absumus ab illis antiquitatis fontibus, a quibus ad nos fluxerunt opera immortalitate digna, plus quasi obscuritatis traxerunt, quae quidem impedimento est, quominus magna ex parte sensus, lepores atque veneres, quibus Graecorum et Romanorum, illa legentium, animi dulcissime permulcebantur, recte intelligere penitusque sentiendo percipere possimus. Nam, quum perquam difficile sit, nostrae aetatis populi cujusdam sermonem bene callere, qui nobiscum iisdem, aut certe non multum diversis utatur moribus et institutis, eadem religionis forma, iisdem literarum et artium mirum in modum excultarum progressibus, — quanta difficultate et caligine prematur illud studium necesse est, quod in cognitione vertitur antiquitatis eruditae, cujus tot et tanta prorsus perierint monumenta, cujus haud pauca temporum injuria deformata sint atque inquinata, vix ut de multis et gravissimis rebus, quid sit verisimile, colligi possit, praesertim quum de nonnullis vel veterum ipsorum, nedum nostrorum hominum, fuerit dissensio.

Sic rem perpendentibus confitendum est, grave onus impositum esse iis, qui, in discendo aut docendo veterum alterutram linguam, ad id fastigium sese attollere velint, ut, omni antiquitate recensita et penitus cognita, de omnibus ejus partibus vere, apte, eleganter vel scribere vel disserere possint.

At alia est causa eaque gravissima, quae magna ex parte effecisse videtur, ut nostris temporibus scholarum magistrorumque etiam pejor auxilioque egentior sit con-

ditio, quam quae fuit illo tempore, quo, pulsa barbarie, novae eo consilio scholae constitutae sunt, ut, quod politioris humanitatis atque doctrinae, tamquam sacram posteritati tradendam hereditatem, veterum praestantissimus quisque vel meditando vel agendo assecutus esset, ab oblivione ruinisque tot seculorum vindicaretur atque denuo, in communem generis humani utilitatem, quasi in vitam revocaretur. Nam immensa profecto est copia earum rerum, quibus animi juveniles hac nostra aetate imbui et quasi obrui solent. Nam ut historiam mittam, tanta rerum mole per hos trecentos annos adauctam, ut memoriae vim paene exsuperet; et geographiam, quae totum jam orbem terrarum complexa in dies crescit arcanis intimis vel regionum vel populorum in lucem prolatis, — novis quibusdam doctrinae generibus, quae hodie in scholis docentur, effectum est, ut *ἐγκυκλοπαιδείας* in modum accreverint tabulae illae scholasticae, quae professorum perhibent praelectiones. Nam praeter mathematicam, cujus plures sunt partes, et historiam naturalem, et illam doctrinam, quae in legibus naturae rerum inque virtutibus corporum intimis perscrutandis, definiendis et metiendis vertitur, exstiterunt artes nonnullae, quae, ut in societatem tirocinii scholastici venirent, nec injuste nec frustra petiverunt, linearem picturam dico et cantum; tum, quae Graecorum Romanorumve more institutae sunt, corporis gymnicae exercitationes. Accedit, ut, quod felicissime nobis evenit, nostratum literae tantum incrementum ceperint, ut bonam nec inutilem in iis recte perdiscendis discipuli ponant operam. Postremo duo primarii populi, qui, quum praestantissimi doctrinarum cujusque generis exstiterint patroni, nec non artium dignitatem ac gloriam tueantur, cum nostro populo arctissimo et efficacissimo aemulationis ad omnem humanitatem excolendam vinculo conjuncti sint, imprimis digni videntur, quorum linguae in scholis non negligantur.

Attamen, quum in utramque partem res nobis sit excutienda, negare nec possumus nec volumus, hodie nostris vel scholis vel magistris vel discipulis multa ad Graeci et Latini sermonis indolem penitus perspiciendam abunde sufficere auxilia atque adminicula, quae patrum memoria aut parum cognita fuerint aut plane defuerint: curam dico, quae publice scholis habetur bene instituendis, regendis, bonis magistris ornandis; solertiam atque industriam, quam docti homines in recensendis, interpretandis, edendis optimaе notae scriptoribus posuerunt; minimo pretio parabiles editiones, quarum aditus discipulis cujusque fortunae patet, grammaticas denique tanto artificio ab optimis magistris conditas, ut intimam utriusque linguae cognitionem in propatulo habeant, ac leges, dilucide explanatas et exemplis comprobatas, omnis aetatis captui patefaciant.

Talia haud contemnenda auxilia quum non satis valuerint ad scholarum nostri temporis alumnos in latinitatis germanae studio ita juvandos, ut eam laudem in latine inter-

pretando, scribendo et dicendo aemulari possint, qua multas scholas antea floruisse constat: jam inde consequi apparet, ut alia aliunde auxilia petenda videantur, quibus sua latinitati dignitas vel restituatur, vel, si fieri possit, accessio quaedam gloriae, ex hac disciplina partae, scholis contingat.

Sunt, qui huic tanto malo ita obviam eundum esse dicant, ut extrudantur doctrinae atque artes illae, aut omnes aut partim, quae sensim se immiscuerint et insinuerint in disciplinae scholasticae complexionem, ut animi discipulorum, quum a ceteris occupationibus vacent, totis viribus in veterum scriptorum studium incumbere possint. Sed caveant talia praecipientes, ne, plura cupientes, amittant, quae habeant, pauca. Nam exstiterunt passim contemptores eruditae antiquitatis, qui, nimio et illiberali utilitatis, ut dicunt, ardore abrepti et obcaecati, si non latinae, certe graecae linguae studium e scholis totum evellendum atque ejiciendum censerent. Talibus antiquitatis detrectatorum opinionibus quum facile intelligi possit, non sine magno solidae, ex ipsis fontibus hauriendae, doctrinae detrimento morem geri: tum illi minime audiendi videntur, qui hodie quoque in sola antiquitatis cognitione ab juvenibus quasi tabernaculum vitae collocari velint. Etenim, quum tot et tanta sint hominum, tum ex nostra, tum ex aliis gentibus, praecipue anglica et francica, oriundorum, inventa in iis artibus, quae ad physicorum cognitionem, ad chemicam doctrinam, ad mathematicam spectant, ut, si grati esse velimus, permulta illis accepta referre debeamus beneficia, quibus animus hominum ornator, cultus vitae lautior, humanitas omnis generis per omnes terras et cujusque conditionis mortales insigniter exulta evaserit, — quum tot et tanta, inquam, sint inventa illa, haud scio, an, quod est seculi nostri ingenium et inclinatio, tum illa ipsa nescire parum deceat juvenem liberalioris disciplinae, tum linguas gentium, ex quibus illustres illi naturae scrutatores prodierunt.

Sunt alii, qui ita animos juvenum majore veterum literarum vel amore incendi, vel scientia locupletari, vel usu firmari jubeant, ut pueri latinos graecosve versus componere doceantur; ut consessus eorum, qui academias frequentent, non nisi latine loquentium professorum resonent praelectionibus, ut latinum denique sermonem in usum familiarem et quotidianum tentent revocare. Sed dubito, an tales ad majores profectus vias ingrediendo parum illi proficiant, quum familiaris latini sermonis usus aut nullus aut perrarus, inter homines doctos, diversis gentibus oriundos, nostris temporibus esse soleat; nec germana Latinorum loquendi consuetudo ad multas artes recentes nullo pacto accommodari possit, nisi tibi sit propositum, nova vel vocabula vel formulas fingere, vel circuituibus verborum uti, quae obscuritatem creent, lucem non affundant, vel ex patrio sermone sumtas explicationes ita addere, ut, te non sensu elegantiae ductum, sed necessitate quadam coactum, in tenebris versari dicendi, facile appareat.

Quum igitur parum ex re tulisse iudicium et illi videantur, qui orbem studiorum humanitatis in angustius coarctare velint, et ii, qui ex umbra quasi in forum et campum producere conentur linguam latinam, ut ea familiarissime et quotidie, quasi altero patrio sermone, utamur: jam, ut studio literarum et latinarum et graecarum auxilio veniatur, alia aliunde remedia, pro magnitudine rei, petenda videntur.

Haec remedia talia esse debent, ut imbecilla puerorum ingenia oneris, quod tempore vertente in majus crevisse supra vidimus, aliqua parte leventur. Nam ingenia puerilia, cui mentis contentioni ac nisui patrum memoria vix fuerunt paria, eidem, immo majori, hodie sufficere non posse, vel me tacente, nemo est, qui non intelligat. Tale levamen pueris ita impertiemur, ut majoris momenti res et saepius et enixius tractentur, leviores aut raro aut transitu attingantur, tum vel maxime ita, ut tamquam foedere icto inter eas disciplinas, quarum natura indolesque talem societatem vel capit vel exposcit, pueri plures ejusdem generis res uno eodemque mentis intuitu atque ingenii actione simul comprehendere atque intelligere assuescant. Ita vel maxime fiet, ut, quae dissociata fuerint locis, iisdem finibus inclusa; quae remota tenebrisque offusa, jam nova alteraque luce collustrata appareant.

Quare, quum diu apud animum meum perpendissem, quae potissimum ratio studiorum ingredienda esset, ut, salvo recentiorum illarum, quas supra dixi, linguarum studio, literae et Latinae et Graecae laetius in scholis efflorescerent et novis praesidiis munirentur: mihi videor, si non novam et unice validam, sed talem in communem utilitatem proferre, aut certe memoriae atque usui denuo commendare posse rationem, quae nostris vel temporibus vel usibus plane accommodata sit atque ita comparata, ut majorem discipulorum familiaritatem cum veteribus linguis aequae ac novitiis illis conciliet, quae in scholis vel maxime tradi solent.

Atqui certe non video, quod summum putatur in linguarum scientia perfecta, i. e. ut bene perspectum habeamus, quae uniuscujusque sint proprietates, quae analogiae, quae dissimilitudines, cur hujus artis certae regulae et quae ad rem universam explanandam valeant, non tradantur discipulis, iique, quomodo recte hoc studium instituant, non doceantur! Nam profecto, id quod haud raro usu venit, discipuli sibi persuadent, quae singulae singulis praelectionibus sibi tradantur linguae, eas nullo omnino cognationis vinculo coarctatas esse; et ne ea quidem vel discrimina vel analogiae, quae vel maxime in promptu sunt, cernere discunt et bene dispicere, nisi talis artificii saltem initia combiberint. Et mirari licet, quum aliae disciplinae scholasticae, e. g. mathematica, physica, chemica, quam dicunt, ita omnes tradantur, ut, quo societatis vinculo inter se contineantur, semper demonstratur, quo majorem novis notionibus ante perceptae lucem affun-

dant, quoque enixius mutuis sese opibus invicem sustentent, — cur non idem eveniat arti illi, quae id efficere in se recipit, quod omnium consensu perquam magnum habetur, in puerisque ad omnem humanitatis cultum bene formandis haud minime validum.

Nonne inde hoc ipsum efficitur, in quo demonstrando operam locamus, illam linguarum cognationem, dum unam aut alteram docemus, in sua luce ponendam semperque esse urgendam, non divellendam atque oblivione quasi obruendam? Nonne, quum recte ita sentiat praeclarissimus quisque veterum linguarum interpres, latinam ita pendere ab graeca, ut, qui intima atque arcissima originis vincula ignorare vel perrumpere velit, animi et corporis discidium inducere videatur, — nonne, inquam, idem videre eandemque nos decet sequi rationem, quum res agatur de studio veterum linguarum cum recentioribus recte conjungendo? Num luculentioribus et certioribus vestigiis insistere potes, quam quae conducunt ad francicae linguae ex latina migrationem mente assequendam, vel ad necessitudinem illam animo et cogitatione penitus comprehendendam, quae inter anglicam linguam intercedit et francicam germanicamque, quarum ex connubio illam ortam esse neminem fugit, ne leviter quidem utriusque scientia imbutum?

Sunt enim certae eademque a natura ipsa constitutae leges apud omnes omnium gentium homines vel sentiendi vel judicandi, unde necessaria consecutione efficiuntur regulae quaedam normaeque loquendi, vel diversissimis populis communes, quum linguas ad unam omnes unius ejusdemque mentis humanae quasi imagines appellare liceat. Eas leges, quo plures sunt linguae, in quibus talis communitatis exempla perscrutando invenimus, eo rectius perspectas nos habere necesse est; earumque bene cognitarum maximus erit usus iis, qui in pluribus linguis docendis studium ponunt. Eodem modo in historia, cum fructu sapientiae et doctrinae perdiscenda, quo major erit copia exemplorum, ex magna et populorum et temporum diversitate desumtorum, in quae, tamquam in specula, inspicias: eo uberiores ad te tales usurae redundabunt, ut inde colligere possis, quae fugienda, quae petenda sint, quomodo denique recte vita instituenda videatur.

Jam, quum explanare inceperim, quae me causae ad hanc rationem amplectendam impulerint, minus probatis iis, qui aliis viis ad eundem finem pervenire student: pluribus explicare aggredior, qua ratione graecae linguae latinaeque studium cum novitiorum populorum, gallici et anglici, sermonibus, utpote qui plerumque in scholis conjunctim doceantur, aptissime consociari posse videatur, ut quum diminutio aliqua discentium laboris, tum solidae doctrinae accessio inde efficiatur. Tres mihi libet scholas instituere, quibus, pro aetatum et progressuum diversitate, diversa universae rationis praecepta pueris sensim inculcentur: primam, mediam, summam.

Primam puerorum institutionem sic fieri velim, ut, dum in unius aut alterius linguae vocabula vel formulas dicendi memoriae tradenda totis viribus incumbunt, id quod maxime convenit ineunti aetati, — ne semel quidem magistri sedulitas negligat, ex ceteris, quae simul docentur, linguis, afferre, quae vel originis nexu, vel significationis similitudine multum valere videntur ad plures voces eadem quasi face collustrandas atque eodem mentis enixo studio memoriae inculcandas. Quo in genere, quamquam latinam linguam paene totam ex aeolico fonte fluxisse doctorum hominum et antiquis et recentioribus curis satis enucleatum sit, tamen, quum utriusque hujus linguae analogia, vel propter literarum dissimilitudinem, minus dilucida primo discentium intuitui sit, — mirum est, quam celeriter et cupide juveniles oculi, aures, mentes arripiant et retineant latini et gallici sermonis, cui et anglicus addi potest, analogias, quae tot tantaeque sunt, tamque intellectui patentes, ut laborem non exigant, sed sua sese sponte oculis quasi obrudant. Perpaululum temporis in hac exercitatione puer versatus, tantum abest, ut currens magis magisque stimulandus sit, ut nullos sibi labores discendi molestos ducat, et saepissime cum gaudio, quod vultu et oculis prodatur, magistro non ducente atque admonente, eas analogias reperiat in mediumque proferat, quas penus verborum arctum et tenuis usus eum invenire patitur. Quanto ejus pectus gaudio offundi necesse est, quum duobus tribusve annis in latino sermone consumtis, ad francicum vel anglicum pergens, a magistro certior fit, se, victorem, antequam hostem viderit, plura jam milia inscium scire vocabulorum, vel latinae vel germanicae etymologiae, modo oculos apertos et intentos habere velit ad tales convenientias cernendas.

Hic locus me admonet, ut levi tantum digito rem attingam, quae subtiliore disquisitione non indiget. Quum multae in gallicam linguam voces ex media vel infima, ut dicunt, latinitate se insinuaverint et verendum sit, ne tales discipulorum memoriae inhaereant, tamquam bene latinae, semper uno verbo hujus rei mentio fieri debet, ut bene perspectum habeant pueri, sitne bene latinum, quod ad verbum vertitur, etymi ratione habita, necne.

At erunt fortasse, qui hanc, quam sectamur, utilitatem aspernentur, tamquam futilem et vanam, quum in solis voculis conferendis versetur! Sed perpendant, quaeso, tales institutionis propositae detractores, sitne perquam magnum, pueros primis discendi gradibus in id fastigii sese sentire evectos, ut, quamvis contracta sit regio, quam oculis perlustrent, tamen plures cernere incipiant vias, ad eundem finem conducentes, nec longo intervallo semotas, quas aliter instituti pueri tamquam plane diversas nec vicinas considerare adsueverint. Et uberrimus quidem fructus ad sequentia studia inde redundabit, quod tironum animi, dulcedine quadam capti discendi, calcaribus haud egeant ad ultra progrediendum.

Nec intercedo, quominus magister, etiam prima hac schola, quum incidit in locum opportunum, subito faciles phrases verti jubeat trium quatuorve verborum in plures linguas, ad imitationem ejus linguae, in qua tum maxime versantur discipuli, ut jam inde ab initio timor quidam pellatur eloquendi et verecundia, nec oculis solum, libris legendis, discere sese adsuefaciant, sed etiam auribus: quae exercitatio multorum opinione plus mihi videtur valere ad accuratam cognitionem et rectum usum linguarum, quaeque, per negligentiam minime laudandam, rarius in legendi vel scribendi societatem vocari solet. Quo nomine memini, olim, quum in schola erudirer, unum ex magistris, bene de discipulis meritum imprimisque usu multarum linguarum insignem, non solum in stuporem doctrinae nos omnes rapuisse, quum ejusmodi, non temere, sed occasione data, exercitationes institueret, sed etiam ad naturam indolemque linguarum melius intelligendam nos perbene ita deduxisse novosque literis studendi ardori adjecisse igniculos.

Huic scholae haud intempestive, ut mihi videtur, dum familias, quas dicunt, verborum ejusdem originis ediscunt pueri, nonnullas notiones subtexas de ratione, qua aliae aliter gentes utantur, novas ex eadem stirpe derivandi voces, aut flectendo, aut simpliciter componendo, aut ita coagmentando, ut in novam formam coalescant.

Jam vero, primo egressum stadio et novis viribus adauctum magnoque spiritu ad altiora adspirantem latior quidam tironem excipit campus, quem *media schola* percurrendum ei assignavimus. Media hac schola sic omnes grammaticae partes eum obire velim, ut, studio illo originum magna ex parte absoluto, sed minime deponendo, jam ad capita rerum, primo impetu facto, animum attendat, et ea quidem, quae, in singulis linguis jam antea cognita, non discere, sed ita solum, quasi frontibus adversis et vicina, collocare opus sit, ut nova quadam et exoptatissima luce sese invicem affundant.

In hoc generatim instituendo grammaticae decursu naturam ducem sequimur, quae, quum in summum collem escendimus, primo oculorum obtutui res praebet supra alias elatas, ut montium cacumina, fluviorum longe meantium cursus, nemora, urbes; post, temporis spatio aliquantulo intermisso, aciem ab illis magnitudine et inusitata forma distinctis rebus ad alias minus eminentes averti sinit.

Quare discipuli, magistro praecunte, monente, cavente, libris non apertis, mente et memoria complectantur, quae ex singulis grammaticae partibus deprompta maximi momenti atque ad retinendum facillima videntur. Etenim cum notionibus ante perceptis haud novae conjungendae sunt, neve novae novis adnectendae, sed, id quod tironum animi aequae atque eruditorum facile perficiunt ac libenter, ante cognitae ex eodem genere, sed ex diversis linguis excerptae, una cogitatione amplectendae sunt. Tali modo,

quae summa, pro hujus, de qua sermo est, aetatis captu, grammaticae capita habentur, quae sunt de nominum verborumque flexu, de pronominum eadem et tamen diversa in diversis linguis ratione, de numeralium usu, de verborum in formis discrepantia vel similitudine, ita recensenda erunt, ut, quae minus sunt necessaria, praetermittantur, quae necessaria, in quaestionem vocentur omnia. Nam, si minutiora et majore animi intentione indigentia huic rerum tractandarum seriei intexere conemur, ita minus proficient alumni, ut, multitudine rerum mentis aciem hebetante, deterreantur a studio nimis arduo, non alliciantur ad onus, cui pares se sentiant, subeundum. Quum bipartitam hanc mediam puerorum institutionem esse velimus, hac priore grammaticae parte perlustrata, alteram adoriamur, quae est imprimis de verborum recto usu et apta collocatione. Hac ex parte, quam Syntaxin vocant, nominum casus, verborum modi et tempora deligenda sunt, quae accuratius pertractentur subtiliusque inter se comparentur.

Sed paucas tantum res easque ad indolem linguae cujusque recte pernoscendam praecipue valentes quum uni eidemque intelligentiae et memoriae tamquam tabellae inscribi jubeam, sane dolendum est, desiderari adhuc libellum minimae molis, qui, quasi in unum corpus redactas, illas formas et regulas discentibus expromat, quae suppetant ad hanc comparisonem linguarum, quae in scholis doceri solent, recte instituendam. Nam de laude, quae hominibus, praeclara eruditione atque doctrina ornatis et multi in rebus scholasticis usus, debetur, quod in ejusmodi operibus componendis eximia ingenii documenta dederunt, minime detracturus, non tironibus, sed diu in harum linguarum studio bene versatis tales libros, nimio plus, pro hac aetate, farragine subtiliorum animadversionum refertos, scriptos esse puto. Nec aliud quidquam tantopere observandum est in hoc genere, quam illud: Ne quid nimis. Capita grammaticae quum saepius ita inter se compararint discentes, ut totam comparisonum tabellam, in angustum conclusam beneque perceptam, ex tempore repraesentare possint, quid attinet dicere, quam celesiter ac feliciter, quotiescunque lectio aliqua instituta ansam hujus rei porrexerit, alias difficilioris explicationis observationes, ingenii acumine ad subtilitatem magis exculpto, arripere ad aliasque linguas traducere possint. Pauci erunt, qui non bene perspectum habeant, quantum praesidii situm sit in brevitate ac paucitate regularum, quum in singulis linguis, tum vel maxime in plurium conspectu tradendo. Majus enim impedimentum haud temere inveniri potest, quo minus in hac linguarum comparatione laetius efflorescat latiusque se profundat discipulorum studium, quam taedium, quod excitari solet magna rerum minutarum varietate, quae, quo majorem memoriae simul atque intelligentiae ingerit copiam, eo minorem animis infundit voluptatem, nondum satis corroboratis tantaeque imparibus contentioni.

Sed nimis diu nimisque saepe hunc locum urgeo atque scopulum illum, multorum

errore infamem, jubeo evitari. Jam progrediamur ad tertiam, quae superest, scholam recte definiendam et apte informandam. — In hac schola quum discipulorum animi continua comparatione ita cognoverint tritasque habeant migrationes verborum ex alia in aliam linguam, nec non in grammaticae communis cognitione ita versati sint, ut ex tempore, quotiescunque eos excitaveris, recensere possint sine ulla haesitatione, quae capita in singulis linguis communia et similia, quae disparata et contraria reperiantur, — quum igitur hujus stationis officii bene defuncti sint, ad altiorem perfectionis gradum evehentos eos existimo.

Jam alia res agitur atque difficilior, sed ea, quae pueros, labore priore bene peracto, praemio affectura sit splendidissimo et maxime expetendo. Jam pedes insistent quasi in summo monte, cujus in radicibus per plures annos non sine laude vigoris et perseverantiae commorati sunt. Jam, qui dubia luce fruebantur in valle reducta, oculi solis splendore gaudent atque quasi universitatem rerum intuentur, quas singulas ac distinctas antea satis magna cum voluptate contemplabantur. — Quaeris, quae sit talis tantaeque res. Ut paucis absolvam, quae sentio, quum probe hucusque combiberunt discipuli hanc linguarum conjunctim descendarum rationem, quod ad etymologiae et grammaticae cognitionem attinet, magnae curae magnam hanc mercedem reportabunt, ut ad totos scriptores integrosque deducantur inter se conferendos. Primo historici adeundi sunt, quo cujusque sermo simplicior est, planior et emendatior; deinde ii auctores percensendi sunt, qui virilem et numerosam solutae orationis dignitatem feliciter tuiti sunt; postremo poëtae recitandi praeclarissimi, quorum ore Musae locutae esse videntur. Dum tali lectione intimos linguae cujusque recessus, et patronorum, qui optime ejus dignitatem et gloriam vel fundaverunt vel cumulaverunt, reconditos sensus atque sententias perlustramus, id agendum est, ut semper totius orationis formam atque habitum spectemus; ut sensum pulchritudinis et elegantiae percolamus; ut semper, cur alii aliorum scriptorum loci vehementius animum moverint, dilucide explanare rationibusque confirmare possimus: ex qua animi intentione et subactione uberrimos doctrinae, intellectus, voluptatis fructus in juvenes redundare necesse est.

Sane vix quemquam paulo peritiorum fugit, in hoc scriptorum delectu habendo sic versandum esse, ut, qui dictionis atque argumenti similitudine sibi sint proximi, imprimis componantur. Sic Caesarem cum Xenophonte, Sallustium Tacitumve cum Thucydide, Virgilium cum Homero, Horatium cum Pindaro et antea collatos esse et nunc conferri, inter omnes constat. Simili ratione romanorum historicorum cum francicis et anglicis comparatio perutilis est et per jucunda. Quodsi, quo nobiliter paritragicorum poëtarum inter Graecos et Britannos inveniri non potest, id comparari velis, nimirum ingenium opus est multo et acri legendi et meditandi studio subactum et perculum.

Verum, ne cui videar discentium otio, dum auxilium ferre conor, damnum dare aut malum, de tempore dicendum est, quod in hoc novum studii genus impendi velim. Quae exercitationes in verbis, quae quasi materies omni interiori et subtiliori linguarum studio subjecta est, deligendis et memoriae mandandis versantur, iis jam certus in scholis temporis modus adscriptus est, quo ita uteris, ut conjunctim plurium linguarum vocabula tractes, quae se invicem retinent nec facile memoria excidere possunt. Quod quum feceris, dummodo paululum hujus rei usum habeas, haud negabis, tantam industriae discipulorum et progressus adjectionem factam esse, quantam diminutionem laboris atque temporis in id studium impensi, nimirum ex quo tempore ante oculos habere inceperis naturale illud linguarum vinculum eamque cognitionem in tuam rem convertere. Sed id quoque omni asseveratione affirmare haud dubito, hoc ipsum studium, in verbis ediscendis positum, quod haud raro taedium creat vel discentibus vel docentibus, tum, quum in plures linguas latius pateat nec solius memoriae facultati inserviat, mirum in modum ingenuam quandam puerorum aemulationem alere ingeniumque acuere, quum undique adsciscenda sint, quae vocabula ejusdem significationis ex scriptorum lectione in horrea sua congesserint, simulque diligenter ratio habenda sit totius loci cujusvis complexionis atque contextus, ut inde, quae discrimina intercedant, quaeque tenuia, ut ita dicam, significationum confinia, magistro praeunte, subtiliter et severe perpendere atque diiudicare discipuli instituantur.

Grammaticae quoque comparativae, quam dicunt, studium, quod mediae scholae injunxi, aut nullis omnino praelectionibus peculiaribus, aut certe paucissimis, provehendum censeo; sed id singulis huic doctrinae usque ad hoc tempus destinatis horis ita subtextum velim, ut verendum non sit, qua arte haud temere alia plus habeat virium ad solertiam ingenii atque alacritatem augendam, ne ea deterreat ingenia puerilia exilitate rerum tractandarum et jejunitate. Ut unum ex multis afferam exemplum, quantum erit temporis compendium, quantumque se adjutos sentient discipuli, quum anglicae linguae verba irregularia, quae in aliis linguis permagnam praebent curam, ediscere aggrediuntur, ab magistro admoniti, ea vel singulis literis originem germanicam prodere. Sed hoc in genere praecipue tenendum est illud Horatii: Quidquid praecipies, brevis esto. Quare parcissimus in grammaticae legibus tradendis, magister officio satisfacisse se credat, quum, in capitibus tantum rerum habitans, discipulos bene docuerit, quae sint summa omnia in unaquaque lingua, in qua operam ponit; quae constructiones consuetudinesque loquendi uni aut alteri peculiare sint, quae omnibus communes atque usitatae. Quae omnia sunt in hoc primo grammaticae decursu, ea strictim et breviter attingendi facultatem praebit ipsa scriptorum lectio multiplicem et fructuosam. Quotiescunque in talem locum discipulus incidet, cui grammaticae parti

inserirendus sit, ut uno verbo indicet, semper monendus est atque incitandus. Summae, quam supra instituimus, scholae certum et definitum, sed breve temporis spatium ut concedatur, petimus. Etenim sexcenta sunt, quae in linguis comparandis demonstranda videntur atque observanda adolescentibus provectoris et aetatis et doctrinae: exordia orationis atque epilogi, collocationes verborum et formulae diversae, quae ad vim eloquendi augendam pertinent, figurae dicendi et lumina, quibus vel poëtae versus suos distinguunt, vel oratores, vel historici utuntur, sive, pro gentium et scriptorum diversitate, ex agricultura imprimis deprompta sunt, sive ex re militari, sive ex artium studio, sive etiam ex naturae contemplatione. Ut exemplum sumam ex iis, quae parva habentur, nonne proverbia, partim ad verbum versa, partim leviter mutata, commodam plurium linguarum comparationem praebent? Quin fabulis utimur certisque philosophorum sententiis, apud omnes omnis aetatis gentes tritissimas, quae iisdem fere verbis easdem res exprimentes facillimam ansam porrigunt discipulis ad genium, quem vocant, sermonis cuiusque plane et recte cognoscendum! Quae enim res in linguis facillimae vulgo existimantur ad intelligendum, ob eamque causam minoris momenti, eae ipsae maxime valent ad bonas fructuosasque comparationes instituendas.

Tales aliaeque multae notiones, quas pro minima parte enumerare longum est measque vires exsuperat, quum jam antea singulis scriptorum locis, pro re et tempore, in memoriae tamquam scrinio congestae sint, eae nunc demum in certum regularum corpus redigendae videntur, ut inde, quod systema philosophi dicunt, efficiatur, et quasi apex et corona imponatur huic totius doctrinae operi. Talis disciplinae alumni, quum multiplici observatione vires eorum accreverint, apti erunt ad ingenia auctorum, quos in pluribus linguis deinceps evolvent, rectius intelligenda et majore cum voluptate gustanda. Tales alumni, quum multa habeant adjumenta, ex aliarum gentium dicendi consuetudine petita, ab aliis interpretibus nec cognita, nec in auxilium vocata, multa invenient in scriptoribus legendis, quae, quamvis venusta, aliorum vel intelligentiam vel sensum fugerint. Nam saepenumero illis in mentem veniet aliorum locorum, qui, alienigeno sermone expressi, aut eundem aut similem sensum praebeant multumque valeant ad mentem acuendam majusque gaudium animo infundendum.

Ne tempus discipuli perdant in scriptionibus, quod melius, ut opinor, in eas exercitationes impendent, quae viva voce instituuntur librisque non consultis, rarius scribendis exercitationibus opera danda mihi videtur. Quamquam non infitias eo, e. g. conversiones scriptas latini scriptoris in alios sermones, dummodo cogitate meditateque fiant, quam rationem pulchre docet C. Plinius l. VII. ep. IX., multum conducere ad proprietatem linguarum et usum penitus pernoscendum. — Hic locus me admonet, ut, quid sentiam de generali quadam quaestione, quae in linguarum ratione haud raro oc-

currit, libere confitear. Loquendi consuetudinem, quam antiquitus in usum quotidianum receperunt, injuste prorsus abolitam esse atque exulare censeo; moderate eam adhibendam esse, magis mihi placet. Quamquam a Cicerone docemur, stilum optimum esse dicendi magistrum, nemo facile est, qui neget, hanc ipsam loquendi intentionem quasi obrussam esse, qua semper, quales sint discipulorum progressus, planissime ostendatur.

Haec habui, quae de modo temporis, quod talibus exercitationibus concedi velim, in medium afferrem. De hac re minime mihi licuit silere, ne inde tela peterentur, quibus ipse de gradu dejicerer atque ea, quam ratiunculis meis munire conatus eram, linguarum institutio, jam tormentis adversariorum quassa subrueretur. Quum novum alumnorum humeris imponere onus in animo mihi non fuerit, sed aliqua ex parte eos levare, extraordinarias horas huic novo muneri assignatas nolui, ne in hunc errorem adducerentur vel discipuli vel alii, ut putarent, hanc propositam viam et rationem esse ingenii frangendi et memoriae supra vires intendendae, quum ad nihil aliud pertineret, nisi ad novum inducendum additamentum disciplinarum, quarum nimio jam numero nostri temporis scholae laborarent. — Ceterum vere et simpliciter, non rei exaggerandae causa, affirmo, mea me ipsius experientia, quantum id cunque est, utilitatem cognovisse doctrinae propositae, et sane quam sperare, fore, ut, si quis alius rei, de qua agitur, comprobandae periculum facere velit, nec temporis impensi nec laboris eum poeniteat.

Jam, quum rationem, qua linguas conjunctim in scholis doceri velim, cujus quidem memoriam redintegrare in animo fuit, in suas partes divisam, extremis lineamentis adumbraverim, non ad justae imaginis similitudinem expresserim, quumque eorum gratiam ac suffragia rationi propositae conciliare studuerim, qui, ne illa recepta temporis jacturam faciat, falso verentur: reliquum est, ut vituperatores nonnullos refellere coner, qui dicant, novis his rebus minime studendum, sed eam docendi viam atque rationem servandam esse, quae, multo usu atque diuturna experientia magistris comprobata, in scholis usque adhuc vigeat; quum externae causae impedimento sint, aequae atque interiores, quominus nova docendi forma ad usum transferatur in scholarumque disciplinam atque exercitationem inducatur.

Etenim, dicet aliquis eorum, qui aut minus bene callent unam alteramque linguam, aut, fastidio quodam ducti, nolint in latini scriptoris libro explicando alterius linguae ne verbo quidem mentionem fieri: Sint ista, uti vis. Sed quotusquisque magistrorum est, qui et Latii et Graeciae intimos omnes, quos scio esse innumerabiles, recessus teneat simulque in literis recentiorum populorum ita sit versatus, ut ejusmodi comparationes cum laude et fructu doctrinae facere possit? Aut quotusquisque adolescentium est, qui, vel optimo magistro operam dans, duabus rebus ita distringatur, ut neutra laboret;

quum plurimi, aut incuria et negligentia jacentes, aut ingenii bonitate minus valentes, uni linguae intenti, parum, ut vulgo fit, procedant? At vero non tales volo magistros, qui omnia sciant, sed qui, discipulis suis quum plura sciant et, magnitudine rei, cui regendae praesunt, incensi, ardorem mentis vel scientiae vicarium vel ingenii sibi adsciverint, viam iis rectam praeceant discendi! Non tales volo discipulos, qui, ab ore semper quasi pendentes magistri, omnia celeriter arripiant et bene firmiter retineant, sed qui, quum tali usi sint magistro, cujus vestigiis fidenter ingredi possint, hac ipsa, quam commendo, ratione sublevati, sensim bonos progressus faciant.

Ne in reprehensionem sane gravem incurram eorum, qui dicant, hac plures linguas collustrandi et sustentandi ratione, singulas vel obscurari vel concidere, pauca mihi suggerenda videntur. Ut, quod principatum obtinere debet in omni bene instituta ratione, sive doctrinae cujusvis, sive artis praecepta tradere volumus, hujus quoque rei sit principium quoddam, a quo semper excurratur, ad quod bene ante cognitum nova omnia recurrant, ad quod, tamquam legem et normam recti, omnia exigantur, in quo tamquam communi ingenii domicilio recens parta ordine et convenienter reponantur: latinum sermonem in choro ceterarum linguarum, quae in ludo publico ediscuntur, ita primas sustinere velim, ut in illius latini sermonis exiguum gyrum omne linguarum studium, longius evagatum, constanter et ubique compellatur; ut primum semper quaeratur, quae sint latinae originis verborum in alienis linguis occurrentium; quas analogias praebeant grammaticae leges alienigeni sermonis cum latino comparatae; quatenus universus latinae orationis habitus in aliis linguis aut plane expressus, aut leviter adumbratus, aut prorsus sejunctus reperiatur. Tali modo rem instituendo spero fore, ut iis satisfacisse videar, qui verentur, ne ingenia puerorum, in multas partes distenta, debilitentur, non adjuventur; neve animi arrogantiae et vanitatis vitium potius trahant, quum multa scire sibi persuaserint, quam modestiae et recti mediocritatis suae sensus tamquam freno coercerentur. Nempe satis repente intelligent, multo plura se nescire, quoquo, in tanta tot rerum varietate, cursum direxerint, quam sint minuscula illa, quae primis labris potius gustaverint, quam pleno ore et penitus exhausserint. Etenim sic unitas quaedam conservata est in studiorum diversitate, et nimiae sui fiducia nullus locus est in contentione veri certis vestigiis et multo cum sudore indagandi.

Jam desiit decursus capitum, in quibus summa hujus doctrinae vertitur, ad quam amplectendam in puerorumque institutione adhibendam invitare haud dubito, persuasum quum sit mihi, multa inde pendere commoda. Neque naturae repugnant, quae, ut in scholarum consuetudinem transferantur, propono. Quin sequimur ipsam naturam, quae adolescentes tum ardore quodam studii incendit, quo ad aliarum gentium linguas, terras, mores, instituta cognoscenda feruntur, tum eorum animos ita

comparavit, ut in communitatis et similitudinis legibus inveniendis et comprehendendis gaudeant. Jtaque ne obtundamus incultamque remanere patiamur illam propensionem alias cum aliis linguis connectendi, quippe quum illi inclinationi ita indulgere liceat, si res ordine et ratione fiat, ut reliquae doctrinae ne minimum quidem inde detrimentum capiant.

Quum huic scriptioni finem impositurus sim, restat, ut spem meam expromam, fore, ut, si minus acriter et severe dijudicantium expectationi responderim in hac perquam utili, ut mihi videtur, et nostris temporibus vel maxime necessaria, linguas conjunctim docendi ratione dilucide explananda, — at magnitudini rei, de qua agitur, et animi significationi, ad scholarum prosperitatem quantulumcunque proferendam propensi, hanc minus felicem meam expositionem atque argumentationem condonare velint aequi lectores. Neque is sum, qui hoc mihi assumserim vel vanae opinionis vel nimiae fiduciae, ut in hac una, cujus exstiterim patronus, linguas continue comparandi ratione, omnia sita esse adjumenta atque omnes profligatas esse difficultates existimarem; nec sum nescius, multa alia, quae magnum momentum habeant, adhiberi ab eruditis et longo usu doctis magistris, in usum discentium vel ab ipsis excogitata vel a majoribus recepta: sed juvat vel leve quoddam auxilium in re tam gravi tamque difficili attulisse, scilicet ut suffragiis eorum comprobetur, quorum auctoritas in his rebus maxime valet. Equidem pulchre video atque intelligo, neque perfectum neque omnibus numeris absolutum esse hoc quantulumcunque operae meae, sed, quum nec modus huic scriptioni impositus, nec ratio propositi operis, uberiores rei, de qua dissero, vel exemplis collustratam capiat tractationem, haec paucula jam nunc in lucem prodire malui, quam rei tam magnae, ut opinor, tamque ancipiti et controversae, per ignaviam nimiamque mei calumniam prorsus deesse. Post, aut doctorum hominum judicio aut mea ipsius experientia rectius et dilucidius de hac re sentire edoctus, vel inde veram et liquidam voluptatem carpam, si in parvis quibusdam rebus recte vidisse, in magnis vel errando veritatis luci aditum aperuisse mihi contigerit.

